

intestinorum alioquin dolorem, quem Graeci strophon appellant, ex aqua hyssopum aut rutam decoctam habente. item bene facit ad sanguinem et ex interiore parte: non enim patitur late fieri nec intus vulnus converti, sed cito supprimit sanguinem et vulnus cogit coire. dandum autem his est medicamentum ex aqua polion coctum habente aut rutam. prodest et 5 torminosis et coeliacis datum ex aqua centunculum herbam incoctam habente, quam Graeci gnafalida dicunt, vel sorba vel siliquam Syriacam. lienosis datur ex mulso vel passo aquae mixtis. eodem modo dandum est et eis, qui sanguinem per urinam vel alvum reddunt, nec minus etiam 10 mulieribus, quae fluore sanguinolento infestantur, quod rhun erythron Graeci dicunt, vel ex partu abortive quae residuos vulvae dolores habent, et in totum, quibus supprimendus est fluor aut ex aliqua parte corporis inflatio tollenda. recipit autem haec: spicae nardi, costi, piperis albi, piperis nigri, piperis longi, myrrhae, opii, Apollinaris radicis et cinnami, asari, acori, thuris, brassicae seminis, castorei, singulorum \bar{X} p. XII, 15 opopanacis \bar{X} p. X, stoechadis, dauci, ami, singulorum \bar{X} p. XVIII, seselis Cretici \bar{X} p. XXIII. mel Atticum miscetur; datur non plus quam \bar{X} pondus aut victoriati; ceterum prout cuiusque vires postulabunt, dummodo infra hoc pondus, ex aquae calidae cyathis tribus in noctem secundum cenam. haec potio etiam febricitantibus tuto datur, sed coeliacis in 20 ipso dolore prodest. vitreo vase servatur.

CXXII. Ad coli dolorem faciunt quidem mirifice, quae superius posita sunt, sed cetera medicamenta in aliis vitiis dolorem levant in praesentia, hoc vero, quod dicturus sum, supra hominis spem condicionemque est. ideo primo tempore ne fidem quidem habet, postea a nullo satis digne 25 laudari potest. nam et in praesentia dolorem tollit et in futurum remediat, ne umquam repetat. raro enim quis iterum vel ad summum tertio hoc accepto medicamento vexatus est. quamobrem si quando repetierit iterum dolor, dandae erunt per triduum et tunc potiones eodem modo, quo primae datae fuerint. interdum et tertio in dolore eodem genere po- 30